31602/ II

RATIONES

Quòd non expediat nouam Academiam Leopoli: PP. Societ: IESV erigere.



1. SErenissimi Poloniæ REGES, & Summi Romani Pontifices, Acad: Cracouien: vnam tantùm in Regno Poloniæ; tam pro Ciuibus Reipub. quàm pro externis habere voluerunt, vt patet in Priuilegio CASIMIRI Magni, VLADISLAI IAGIELONIS, VRBANI V. IOANNIS XXIII. MARTINI V. & habetur in Statuto verbo SCHOLA.

2. Academia Cracouien: instar Parisien: Bononien: Patauinæ, à primis Fundatoribus est erecta, (vt patet in Statuto Herburti) quæ quidem Academiæ præfatæ, in suis territorijs, multa Gymnasia tolerant: ius tamen conferendi laureatos honores nemini vnquam concedunt.

3. Academia Cracouien: à tempore immemorabili; Sola & vnica est in possessione, Doctores in hoc Regno Poloniæ creandi: & hoc Priuilegium, titulo meritorum, quæ legere potes in Dlugosso, Cromero, Miechouio, Piasecio, & alijs, obtinuit remuneratiuum, in Vrbe totius Regni Principe, vnde ab ea tolli, & alteri communicari non potest.

4. Noua hæc Academiæ in Ciuitate Leopolien. erectio, pugnat cum erectione Acad. Cracouien: quam CASIMIRVS Magnus, & post eum D. VLADISLAVS IAGIELO voluerunt esse fontem, de cuius plenitudine haurirent vniuersi, literarum cupientes imbui ornamentis.

5. Fontis huius perennis scaturigo, & illimes fidei ac Scientiarum aquæ, irrigarunt & hucusq; irrigant copiosissimè, omnes terras & Prouincias Regni. Hinc variæ deductæ sunt Academicæ Coloniæ. Chełmum, Posnaniam, Zamoscium, Vidauiam, Białam; Ołykam, Brody, Iedlinsko, Siracouiam. Hinc Illustrissimis & Reuerendissimis Antistitibus, Viri ad Episcopales functiones perficiendas expeditissimi, Auditores Iure Consultissimi. Hinc Illustribus & Nobilissimis Familijs, ad instituenda carissima pignora, Præceptores fidelissimi. Hinc omnibus Scholis Parochialibus, ad Ecclesiæ obeunda munia, & tenellam informandam ætatem, Magistri & Baccalaurei laboriosissimi subministrantur.

6. VRBANVS V. Summus Romanus Pontifex, non alia spe ductus Academiam & Professores, ex Gallijs magno pretio conductos, REGI CASIMIRO Magno concessit; nisi quòd præter prærogatiuas & libertates, in suo Priuilegio expressas, multò maiores Academiæ Cracouien: esset daturus. Quid autem opus fuerat, tot sæculis Professores Acad: Cracouien: laboribus atterere; si alium quempiam in eorum messem falcem immittere contingat.

7. Re-

7. Rector Acad: Cracou: non ob aliam causam GENERALIS nuncupatur, nisi quòd penes solam Vniuersitatem Cracou: sit facultas promouendi ad honores literarios, & penes solam illam, literaria Sceptra, quibus omnes subesse tenentur.

8. Si forum & Mercatus eadem die, in vicinis Ciuitatibus lege vetantur: quantò magis emporium literariorum honorum, in vicinia est vetandum?

9. Imperatores & Summi Pontifices, licet pluribus in Ciuitatibus Collegia & Gymnasia erexerint; non vbiuis tamen conferri literarios honores, propter grauissimas causas voluerunt.

10. Sicut in sola Academia Cracou: Institutio est liberorum ad vsum Reipub: accomodata: ita per omnia æquum est, vt penes illam solam promouendi ad literarios honores sit facultas.

11. Fides per Acad: Cracou: DEO, Ecclesiæ, Patriæ, ac Serenissimo REGI Domino D. suo Clemen: sub Suecis; tanto cum affectu, & raro ad posteritatem exemplo, seruata; vt Professores eius mortem, & exilium potius subire, quàm iuramento sese obstringere, aut vllam promissionem fidelitatis hostibus præstare elegerint. Haud igitur æquum est, vt loco præmij diminutionem nominis & famæ, per nouæ Academiæ erectionem referat: cùm alij omnes, quicunq; sub illud tempus pro Patria, aliquid præstiterunt, ex plebe, in amplissimum Equestrem Ordinem assumpti sint, & Stemmatibus aucti atq; exornati.

12. Ad vnam Acad: Crac: ex vicinis imò & transmarinis Regnis, Studiorum gratiâ confluentes iuuenes, causa fuerunt, vt Serenissimorum Poloniæ Regum filij ad Sceptra Bohemiæ, Hungariæ postularentur.

13. Licet nullum interesse in hac noua erectione, Academ: Crac: haberet, nec vllum damnum pateretur: adhuc tamen ad impediendum euigilare deberet, & tanquam fidelis custos depositæ institutionis, ad Ordines Regni deferre teneretur, informando eosdem, verti in hoc negotio Iura, Priuilegia, & prærogatiuas omnium Ordinum, ad quos spectat diligentissimè attendere. vt Statuta Regni & Priuilegia cuiusq; in eis contenta, inuiolata conseruentur, nèue vllis nouitatibus aliquo modo conuellantur, aut labefactentur à quopiam.

14. Longè feliciùs & pacatiùs, vastum istius florentissimæ Reipub: corpus regi potest, si vna tantùm Academica institutio liberorum sit. Quantò enim magis ab vniformitate institutionis, in ordine ad Rempubl: receditur: tantò minùs speranda est Ciuium & animorum concors vnio, & par obsequij in principem promptitudo.

1. QVantùm Academiæ Cracou: Summi in Repub: Polona, & Sapientissimi Viri tribuebant, & quanti eam faciebant, licet colligere facile. IOANNES Lubranscius, Episcopus Posnanien: & IOANNES

Zamo-

Zamoſcius, Supremus Regni Exercituum Ductor, & Cancellarius, non aliundè, quàm ex Vniuerſitate Cracouien: lumina ſuis particularibus Academijs acceperunt.

2. Ioannes Kochanouius, Laureatus Pòëta Polonus, in Satyro canit, Academiam Cracouienſem, nulli in Orbe Academiarum, ad quas vndiq; concurritur fore ſecundam, ſi præmium literis, & literatis accedat.

3. Ioannes Felix Herburtus, in epiſtola ad Acad: Cracou: de data 19. Nouembris, 1612. ſcribit: *O ſi benignum numen aliquando vota mea adſpicere vellet, cognoſceret hæc virtutum & diſciplinarum Mater, hæc omnium bonorum altrix, me bonæ Matris, non malum eſſe filium, &c.*

4. Sanctiſſimè æquè ac prudentiſſimè Regni Senator, Stanislavs Hoſius, Mutationem Acad: Crac: & Vniuerſitatum multiplicitatem, quaſi peſtem fugiendam cenſebat; Lege epiſt: eiuſdem ad Stephanvm Regem Poloniæ.

5. Stanislavs Orichouius, diſperſionem Academiæ Crac: quæ ſub Avgvsto Rege euenerat deſcribens, inde Rem Polonam eiuſq; florens imperium, retrò labi cœpiſſe teſtatur.

6. Iouius libro 13. Iam diſciplinæ Dialecticæ & Mathematicæ ac Philoſophicæ deletæ, atq; extinctæ fuiſſent, niſi Acad: Crac: eas excitaſſet.

7. Stanislavs Orichouius, in funere Sigismvndi, D. Vladislavm Iagielonem laudans, inter cætera, ſic inquit: *Cracouia Gymnaſium condidit, quod omni virtutis ingenij ac doctrinæ laude, ad hanc diem floret, vt inde tanquam ex Equo Troiano innumerabiles Viri prodierint, Sapientia & Doctrina præſtantes. In hoc enim Gymnaſio, non ſepoſita aliqua Philoſophia aut Sapientiæ pars tractatur, ſed tota ipſa, omnibus ſuis numeris perfecta atq; abſoluta, &c. &c. vt cùm ferocius gente Polona antea fuerit nihil: nunc contrà beneficio doctrinæ eadem nihil videatur, eſſe manſuetius atq; humanius. Hanc ergo humanitatem, quam in templis, quam in foro, quam in regno, ac in moribus noſtris verſari videtis,* Iagieloni Regi *omninò debemus, qui accerſitis in Poloniam literis ac literatis, adhibitisq; earum Doctoribus nos ab agreſti, ad ciuilem vitam vocauit.*

8. Idem Orichouius ad Hoſium Cardinalem ſcribens, teſtatur: *Antequam in Polonia Cracouienſis Academia, erecta fuiſſet, Poloni erant* αμουσοι καὶ ανομοι. Petrvs Skarga Societatis Theologus, in Libro artium 12. contra Volanum, Archiminiſtrum, in quarto de Academia. *Diuexat Academiam Cracouien: omnium ingeniorum in hoc Regno excultricem, & vnicum huius Monarchiæ decus, in quo & nos tyrocinia iuuentutis depoſuimus, & ex eius vberibus diſciplinæ ſuauitatem hauſimus.* Vide eundem in Concione funebrali Sereniſſimæ Reginæ Annæ Iagieloniæ, & in vita B. Ioannis Cantii.

9. Illuſtriſsimus & Reuerendiſsimus Wyzga, Dei Gratiâ, Epiſcopus Varmienſis: in funere Sigismvndi Casimiri, Poloniæ & Sueciæ Principis, Anno Domini, 1647. *Academia Cracouien: eſt vnicum morum optimorum*

 Palla-

Palladium, vna honestissima educationis Palæstra, vnus Europæ oculus, vnum omnium artium liberalium domicilium, vna filiorum Regni Schola, vnica Sarmatarum Athenæ.

10. Illustrissimus CASTELLANVS Kijouien: nunc autem feliciter Palatinus Terrarum Russiæ, Anno Domini, 1655. 18. Octobris, Academiam Crac. motu proprio, vti Senator prudentissimus, ad diem armis decretorium, in deditione Vrbis Cracouien: Sueco singulariter commendauit. Pactisque tanquam membrum, & partem Reipub: Polonæ nobilissimam speciali, paragrapho inseruit.

11. Ordines Regni in electionibus Regum suorum, non de nouis Academijs, sed pro veteri Crac: solliciti eandem Henrico Valesio, Stephano Bathoreo seruandam, & stipendijs augendam committebant.

12. Synodus Cleri Petricouien: dum ob paupertatem Acad: Cracou: ad incitas redigebatur, cum Illustrissimis & Reuerendissimis Regni Poloniæ Antistitibus, ad subleuandã & conseruandam eandem, de prouentibus Episcopalibus succurrere decreuerat.

13. Inter pacta conuenta felicis: Electionis, nunc feliciter Regnantis Serenissimi REGIS Domini Nostri Clementissimi, formula in Constitutionibus per Rempublicam adiecta est: Ne quis aliter, quàm verba sonant, Statuta interpretari audeat.

14. In Comitijs Generalibus Varsauien: Anno D. 1626. in Collegio Illustrium Dominorum Nunciorum, dum de Academiæ Cracouien: iuribus conseruandis, contra PP. Societatis consilium habebatur, Generosus ac M. Nuncius Stargarden: hanc sententiam dignam cedro protulit. *Donec in Regno Poloniæ, erat vna Academia, & vna moneta, affatim habuimus bonorum Virorum & probatorum nummorum; postquam verò diuersæ Scholæ & Officinæ monetariæ multiplicari cœperunt, candoris minimum, calliditatis plurimùm, & deprauatæ monetæ.*

1. HAc noua erectione fons irriguus Academiæ Cracouien: quem D. IAGIELO post CASIMIRVM Magnum elicuit, sensim exaresceret. 2. Pretiosa Margaretha Regni diademati inserta, pretium & valorem amitteret. 3. Philacteria Acad: quæ iuxta votum D. IAGIELONIS extendi debent, coarctarentur. 4. Serenissimorum Poloniæ REGVM, optimè de Regno Poloniæ meritorum, memoria extingueretur, quod est contra mentem Fundatorum, & Summorum Pontificum VRBANI V. qui Studium Generale, soli Vrbi Cracou: concessit. 5. *Ex Generali Regni Schola,* (vt Statuta loquuntur) vnius Palatinatus, alteriusq; Schola Academia Cracouien: redderetur.

1. ACademia Cracouiensis semper impediuit, ne de proximo sibi aliquæ aliæ plantarentur Academiæ, etiam in alieno

solo

ſolo, & ſub alio REGE: Sic impediuit erectionem Academiæ, in Sileſia Vratislauiæ, idq; ſemel & iterum: Lege Miechouium, Lib. 4. cap. 85.

2. Iulius II. Pontifex Maximus, ad Inſtantiam Regis Hungariæ & Bohemiæ, Epiſcopi Vratislauienſis & Ciuitatis eiuſdem, magnis precibus ſollicitatus, nequaquam ſuper erectione Vniuerſitatis conſentire voluit, idq; propter Rationes Academiæ Crac: quas vtique firmiſsimas fuiſſe, Sedes Apoſtolica recognouit, quæ iuſta petentibus nihil negare conſueuit.

3. Idem teſtatur Horatius Turſellinus Societ. Hiſtoricus, in ſua Chronologiâ, qui deſcribens Academias Orbis, de Vratislauien: ſcriptum reliquit. Hæc ſæculo quinto decimo; nunc ſextum & decimum Vniuerſitates dedit. Primam quidem anno ſæculari Lauingenſem, in ſuperiore Palatinatu &c. Vratislauienſem in Sileſia anno quinto, agente vrbis Senatu, conſentiente cum Vratislao Hungarorum & Bohemorum Rege, tunc Iulio II. P.M: quanquam Confirmationem ne impetrarent, Rationibus euicêre Cracouienſes, qui ſuis luminibus offici nolebant.

1. TEntarunt PP. Societ. Poſnaniæ Academiam erigere; ſed conatus eorum, Academia Cracouienſi interueniente, in irritum reciderunt. Vt enim primum rumor exijt, de obtento pro erigenda Poſnanien: Academia Priuilegio. Maior & Minor Polonia grauiſsimè id tulerunt in Comitijs Sreden. & Proſouienſi; quòd ſuæ Prærogatiuæ, Ius nimirum vniuerſitatis Studij, ex Academia Cracouien: in alias Regni partes transferretur: & vnanimibus votis Illuſtriſsimum & Reuerendiſsimum PETRVM TILICKI Epiſc. Crac. tanquam Acad. Crac. Cancellarium compellauerunt, vt Iura Acad: Crac. apud SS. Sedem Apoſtolicam euinceret. Ipſeq; Ordo Equeſtris hoc argumento ad SS. PAVLVM V. Pontificem Maximum literas miſit.

2. Cum Sereniſsimus SIGISMVNDVS III. Poloniæ REX Priuilegium, pro erigenda Acad: Poſnan. à ſe PP. Societatis conceſſum, validum omnino vellet, & Academiæ nuncijs de præiudicio apud ſuam Maieſtatem querulantibus, reſpondiſſet: Non permiſſurum ſe quidquam præiudicij, à quoquam Academiæ Crac: per nouam erectionem fieri. Illuſtres Terrarum Nuncij in Comitijs Regni Varſauien. A. 1613. cum ſui Collegij Domino Directore, Illuſtr. D. Foszowski, in Senatu apud S. R. M. ſummis precibus impetrare conabantur, ne vllum Priuilegium nouæ alicuius Vniuerſitatis condendæ, ex Cancellaria Regni extraderetur.

3. Iam verò poſtquam bonam ſpem in hac cauſa à S. R. M. non rem, ijdem Nuncij retuliſsent, Proteſtationem Die 29. Martij eodem Anno 1613. in ijſdem Comitijs Generalibus fecerunt huiuſmodi.

Nos Senatores ac Terrarum & Dominiorum Regni Poloniæ, ex Equeſtri Ordine, ad Comitia Regni Generalia congregati, Notum facimus, Quòd cùm in Comitijs

mitijs Regni præsentibus nobis innotuisset. Patres Soc: IESV pro Collegio Posnaniensi, Ius & titulum vniuersalis studij, facultatemq; decernendi honores Academicos, à Serenissimo Rege D. nostro Clementissimo impetrauisse, idq; Priuilegiũ nomine Ordinum Reipub. concessum iactent. Nos recognoscentes Priuilegium illud, præiudicare Regni Iuribus, quibus antiquissimæ Academiæ Crac: iura & prærogatiuæ sunt stabilita, & in corpore legum nostrarum clausa, præsenti Scriptura attestamur & protestamur, illud Priuilegium quodcunq;, super iure Vniuersitatis, siue vniuersalis Studij, potestateq; in literis promouendi, PP. Societatis IESV habere se prætendunt, esse contra Iura Regni, contra consensum & voluntatem nostram, primariæ partis Regni, & firmamenti Reipublicæ Polonæ; illud proinde robur non habere, cùm nobis inscijs contra formulam Legum Regni sit concessum. Laboraturosq; nos tempore & loco suis, vt idem Priuilegium sicuti est nullum, declaretur esse nullum. Quam quidem contra prædictum Priuilegium nostram Protestationem, Scriptura præsenti comprehendimus, ac subscriptionibus & signis nostris signamus, ne ab ijs quorum interest prætensum Priuilegium roboretur. Sequuntur Sigilla & subscriptiones Senatorum & Nuntiorum.

4. Idem vniuersus Regni Clerus sensit, Patrumq; Societ. conatus non probauit, quòd Acad. Crac. Scholæ regni, optimè de Reipub. meritæ iura ad se pertraherent, eamque ad vastitatem & solitudinem redigere conarentur. Patet hoc in postulato vniuersi Cleri, in Synodo Prouinciali Petricouiæ 1 6 2 8.

5. Serenissimus etiam Rex SIGISMVNDVS III. alioqui propositi tenacissimus, à Sententia sua, quiritantibus Academicis Cracouiensib⁹ recessit, nec vllas amplius literas pro Patribus Societatis, Romã expediri mandauit.

6. Paulus V. Pontifex Maximus, Breue pro erigenda Academia Posnaniensi denegauit. Academiæ autem Cracouiensis Iura & Prærogatiuas confirmauit, supplendo omnes defectus, si qui fortè in illis reperirentur.

7. Idem Paulus V. Pontifex Maximus nouitates istas Patrum Societ. circa erectiones Academiarum, in Polonia iudicio suo reprobauit. Sic enim Oratori Academico Iacobo Ianidlouio viuæ vocis oraculo respondit. *Nouitates istas Societ. quæ in Ecclesia Dei plus dissensionis, quàm ædificationis pariunt, non libenter audimus; antiquissimam verò Iagielonicam Academiam, quæ toti Septemtrioni insignem operam, in propaganda Orthodoxa fide nauauit, paterno amore complectimur. Pro qua Dominum Episcopum Cracouiensem, in Ecclesia Dei peruigilem Pastorem laborare gratulamur. Cui Signa amoris nostri, in Prærogatiuis Academiæ Cracouiensis conseruandis, & ampliandis, quantum in Domino poterimus, dabimus, & hanc voluntatem nostram Domino Episcopo perscribat: ad Vniuersitatem verò, quas iam ante dedimus literas, quantocyus transmittat, & non differendo in longum, sua desideria nuntiet.*

8. Belarminus Cardinalis Magnus ex Societ. Vir & Montaltius Cardina-

dinalis Societ. Protector, ipſeque eorum Reuerendiſsimus Generalis Claudius Aquauiua, literis ad Acad: Crac. datis, proteſtantur ſe neſciuiſſe, quòd erectio Academ: Poſnanienſis in præiudicium Cracouienſ: vergeret, ac proinde ſe ab illius promouenda erectione abſtinere.

9. Iterum PP. Soc. Anno Domini 1650. eiuſdem Poſnanienſis Academiæ Erectionem curare inceperant: iterumq; Priuilegium à S. R. M. impetrarant, ſed Illuſtriſsimus & Reuerendiſsimus ANDREAS Leſczynski Regni Cancellarius digniſsimus, inſtante Perauguſto Capitulo Cathedrali Poſnanienſi obſtitit, nec vt illud Priuilegium S. R.M. manu ſubſcriptum, Sigillo Regni muniret, vllâ ratione induci potuit.

1. ILluſtriſſimus & Reuerendiſſimus Archiepiſcopus Leopolienſis conſenſum, ſuper iſta erectione non præbuit.

2. Illuſtre Capitulum Leopolien: idem ſine dubio facturum, eſt quod fecit Poſnan. in Comitijs 1650. cùm iterum PP. Societ Priuilegium & Vniuerſitatis titulum, ſuo Collegio obtinere conabantur.

3. Neq; Leopolienſi Ciuitati poteſt hoc tribui, quòd nouam Academiã expetat; cùm etiam Collegium Societ. ægre, & magnis cum difficultatibus olim admiſerit, ob eam cauſam; ne domus Muſarum Academica penes Cathedralem Eccleſiam, in qua omnes artes, Magiſtri & Baccalaurei profitebantur, deſereretur.

4. Sed nec Senatus, nec Ciuitas ipſa, ſuper erigenda apud Patres Acad. fuit conſulta, ex qua plus mali quàm boni, Vrbi illi accederet: Creſcente enim illo Collegio, decreſcerent Ciuitatis libertates, & plures lites, maior ordinis confuſio, ex pluribus Iuriſdictionibus naſceretur.

5. Prætenſæ Acad. Leopoli erigendæ nulla eſt euidens vtilitas, aut aliqua minima neceſsitas: Non enim quid aliud Collegio Leop: accedet, quàm titulus inanis Academiæ, vt videmus in omnibus illorum quas vocant Vniuerſitatibus, vide Epiſtolam SEBASTIANI Nucerini.

6. Patres Societ. Leopolienſes, per compactata cum Ciuitate, vt poſsint in ſuo Collegio docere, ſoluunt quotannis Directori Scholæ Parochialis Academico Cracouien. in recognitionem quaſi cuiuſdam Canonis, Flor: 100. vel 200.

7. Plurimùm decedet Statui Spirituali; imò toti Regno, ſi nobiliſsima ingenia, nouitate hac Academiæ illecta, in Societatem aſſumantur, pertrahantur.

8. Cæteris omnibus diuerſarum Religionum Ordinibus quiſque minus proficuum aduertit fore, quorum Monaſteria, Aſceteria, clauſtra, Acad. Crac: Profeſſores, Studioſi, & alij Scholares implebant.

9. Schola & Seminario Leopolienſi vacuis, multi ſequentur per Eccleſias eiuſdem Archidiœceſis defectus.

10. Deferretur quoq; hac erectione Academiæ, in Ciuitate Leopolienſi

Socie-

Societati Sceptrum, instituendæ iuuentutis Polonæ, & simul Monarchia, ac Monopolium literarium stabiliretur penes Patres, vt sapientissimè deducit in suis literis, ad Prouincialem Societatis, Illustrissimus Dux Georgivs de Zbaraz Castellanus Cracouiensis, multaq; inde incommoda secutura prædicit.

11. Conatus isti PP. in conquirendis, ad amplificanda sua Collegia, in Vrbe Domicilijs, & erigenda Leopoli Academia, non possunt esse sine læsione Iuris alieni, & sine diminutione dignitatis & vtilitatis Regni.

12. Rescriptum obtentum à potente in aula, secundum IureConsultos non valet.

13. Conuenit quoque potiùs Admodum RR. Societatis Patribus, fidem Catholicam propagare, & ex obligatione votorum suorum, in Scytham &c. excurrere (ad quod eos excitat Cardinalis Hosivs epistola 141. ad R. Patrem Lavrentivm Magium Societatis in Polonia Prouincialem) quàm laureas Doctorales, Leopoli residendo conferre, cùm & D. Ignativs omnem speciem fulgoris, à suâ Societate abesse voluerit.

14. Adextremum Diui Iagielonis Academiæ Cracouien. Fundatoris Sanctissimi verba, quibus in Priuilegio Erectionis vtitur, cuiusq; mentem debent penetrare & percellere. *Si quis autem has nostras Erectionis Studij, concessarumq; pro ipso libertatum, & Exemptionum ac Iurium literas, de successoribus nostris, aut quibuscunq;, violare & infringere præsumpserit: iram vindicem districti Iudicis, & miserabilis infelicitatis horridum & inopinatum euentum, nouerit se incursurum.*

